

tiari potest humana mens etiam naturaliter, ut supponimus ex philosophia morali; vel *formalis*, quae est *objectivae* boni consequutio, qua formaliter beamur. Utraque nonnisi unam veram constituit beatitudinem, quia una sine altera nos beatos reddere minime potest.

II. Beatitudo tum objectiva, tum formalis dividitur in essentialem et accidentalem. Beatitudo objectiva est *essentialis* prout bonum illud respicit ultimum ac summum ad quod caetera ordinantur; *accidentalis* si aliud minus perfectum quod ex primo derivatur. Hinc patet etiam sensus sub quo beatitudo formalis debeat dici accidentalis, vel essentialis. Beatitudo est vel *naturalis* vel *supernaturalis*, illa scilicet quae naturae humanae secundum se convenit, vel quae naturae vires et exigentiam omnino excedit, ac proinde nonnisi auxilio supernaturali comparari potest.

III. Thesis est communis et vera contra Henricum Gandavensem (1) eam statuentem in illapsu Dei in essentiam animae per specialem et immediatam unionem substantiae divinae cum substantiae animae: contra contemplativos nonnullos, quos recenset Lessius (2), qui in vera ac reali transformatione animae in Deum ut suum principium erronee constituebant; contra Magistrum Bonae-Spei, qui in intellectione increata collocabat; tandem contra nonnullos theologos, qui cum D. Bonaventura (3) eam reponunt in complexu habitus et actus et principaliter in habitu quam in actu.

55. Prob. 1.^o Juxta SS. Pontificum definitiones, homines ex eo beati redduntur quod Deum intuitive videant, eoque viso fruuntur, et satientur. Sed hujusmodi visio et gaudium operationes aliquae ipsorum beatorum sunt. Ergo in operatione aliqua caelicolarum consistit eorundem formalis beatitudo. *Maj.* constat. ex Benedicto XII (4). «Definimus quod animae fidelium defunctorum... »in quibus, nihil purgabile fuit, vident divinam essentiam visione »intuitiva... quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur; necnon quod ex tali visione et fruitione, eorum animae qui »jam discesserunt sunt vere beatae.»

2.^o Cum D. Thoma (5): a) Beatitudo est ultima hominis perfectio in ipso existens. Sed ultima perfectio est in actu. Ergo... *Min.* prob. D. Thomas ita: «Unumquodque in tantum perfectum est, in quantum est actu; nam potentia sine actu imperfecta »est. Ergo ultima perfectio in aliquo actu hominis constituatur »oportet.» b) Ex eodem D. Thoma (ibid. ad 1). Beatitudo dicitur *vita aeterna* (6). Sed non est vita substantialis quatenus dicit

(1) Quodlib. 6, q. 6.—(2) De summ. bono lib. 2, c. 2.—(3) 4, D. 49, q. 1.—(4) Const. *Benedictus Deus*.—(5) 1, 2, Q. 3, a. 2.—(6) Matth. XIX, 29, Joann. III, 16.

ipsum esse hominis, quia esse hominis non est sua beatitudo. Ergo est vita accidentaliter quae in aliqua operatione consistit. Ergo.

3.^o Exclusionem aliarum sententiarum: *nequit enim consistere in illapsu*, quia hic nequit dici visio et fructio; nec aliquod donum quantumvis magnum, animam reddit beatam nisi illius bonitas quodammodo actu degustetur ut oblectationem afferat.

Non in vera transformatione, etc., quia istius unionis et transformationis hominem beatificantis, nullum est fundamentum, nec apparens possibilitas.

Non in visione Dei increata beatis communicata, nam haec minime esset: a) visio illa et fructio de quibus loquitur Benedictus XII; b) praeterea increatae visionis communicatio est impossibilis, quia si visio increata ita animae communicaretur ut per illam anima fieret formaliter videns, etiam reliquae perfectiones divinae ut potentia, charitas, etc., communicari possent; et anima esset formaliter omnipotens, per omnipotentiam divinam, amans per divinam charitatem, quod valde absurdum est. Ergo.

Neque esse potest in solo habitu, quia habitus sine actu non affert delectationem, imo cum quocumque habitu potest esse magna tristitia et etiam minima, quae sola statui beatitudinis repugnat.

Neque in complexu habitus et actus, nam licet ad perfectum statum requirantur habitus et actus, tamen illa duo inter se comparando, resultat habitum comparari ad operationem sicut potentiam ad actum, et ideo solam operationem esse actum ultimum constituentem rem in ultimo complemento et perfectione sui status. Sed hoc solum est quod habet rationem beatitudinis; quia beatitudo est ultimus finis et ultima perfectio. Restat ergo ut beatitudo in sola operatione reponatur.

56. Obj. 1.^o Habitus superat perfectionem actus, quia habitus est causa actus. Ergo in habitu non in actu consistit beatitudo formalis, nam beatitudo in suo ordine, aliud supra se perfectius excludit. Ergo.

Resp. Est perfectior in ratione entitativa; tr. In ratione attingendi objectum; neg. Dixi tr. quia aliqui cum Vazquez (1) propter allatam rationem, existimant habitum esse perfectiorem; negatur vero absolute secundum distinctionis membrum, quia in hac materia beatitudinis formalis prae oculis habetur non entitativa perfectio, secus ipsa animae substantia, quae est habitu et actu perfectior deberet dici beatitudo; sed perfectio respectu attingendi et possidendi objectum.

Obj. 2.^o Possessio objecti, quae habetur per actum est brevis et

(1) In 1.^{am} 2.^{ae} Disp. 9, n. 33.

transiens; quae vero per habitum est permanens. Ergo non in actu sed in habitu consistit formalis beatitudo.

Resp. Dist. primum membrum *antec.* Est brevis per actum qui idem numero vel saltem specie sit semper duraturus; neg. Secus. conc. Nam beatus certe cognoscit beatitudinis suae perpetuitatem, seu actus beatificos in aeternum esse duraturos: quod si hujusmodi actus perseverant, objecti beatifici possessio minime brevis et transiens erit.

Obj. 3.^o Ipsa anima debet effici beata. Sed per operationem tantum potentiae redduntur beatae. Ergo.

Resp. Dist. *Maj.* Anima debet effici beata *ut quod*; conc. *Ut quo*; neg. et contrad. *min.* potentiae beantur *ut quo* conc. *ut quod*; neg. Anima non aliter potest beari quam per vitalem attingentiam summi boni, quae in aliqua operatione potentiarum ipsius consistit.

Obj. 4.^o Si beatitudo consistit in nostra operatione, accideret nos beare nosmetipsos, quandoquidem nos efficimus operationem formaliter beantem. Sed hoc dici nequit. Ergo.

Resp. Neg. vel dist. *Maj.* Nos beare nosmetipsos physice et obedientialiter; conc. Moraliter et principaliter; neg. Et contradist. *min.* etc. Quamvis nos vere visionem efficiamus, non tamen eam efficimus in genere causae principalis, et ex propriis naturae viribus; nec eam operationem libere facimus, sed necessario.

THESIS XI.

Homo actibus visionis, amoris, gaudii, quibus Deum perfecte possidet eoque fruitur, redditur perfecte beatus.

57. **Nota.** Inter actus intellectus et voluntatis quibus homo formaliter beatus constituitur specialiter considerandi sunt; visio, amor amicitiae in Deum et gaudium. Hos ultimos, ut distinguas, nota cum Suario (1), dupliciter intelligi posse hoc gaudium charitatis, primo quod sit tantum complacentia quaedam de bonis et perfectionibus, quas Deus in se habet ita ut totum objectum hujus gaudii sit Deus, et bonum increatum quod in ipso est; hoc modo gaudium non distinguitur re ab amore amicitiae, quo diligitur Deus propter se. Alio modo potest intelligi, nempe quod sit gaudium seu delectatio consequens ad ipsas operationes videndi et amandi Deum; sunt enim illae naturae sua jucundissimae, atque hoc sensu gaudium est quid consequens ipsum amorem amicitiae.

(1) De beatitudine, D. 7, sec. 1, nn. 36, 37.

58. Prob. 1.^o Joannes scripsit (1): *Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.* Paulus (2) ad Thessalonicenses: *Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco.* At pax ex unione amoris et consequenti gaudio procedit et, ut ait Piconius (in h. l.) «omnimoda reservatur in caelis.»

2.^o S. Augustinus (3): «Beatus quantum existimo nec ille »dici potest, qui non habet quod amat quaecumque sit; nec qui »habet quod amat, si noxium sit; nec qui non amat quod habet, »etsi optimum sit... Quartum restat ut video, ubi beata vita inve- »niri queat; cum id quod est hominis optimum et amatur et »habetur.»

3.^o Probat etiam ratio quia sine visione, et amore amicitiae intellectus et voluntas, actibus carerent quibus eorum appetitus satiatur: sine gaudio esset manca beatitudo, nam ut dicit D. Thomas (4): «Delectatio requiritur ad beatitudinem. Delectatio enim »causatur ex hoc quod appetitus requiescit in bono adepto. Unde »cum beatitudo nihil aliud sit quam adeptio summi boni, non pot- »est esse beatitudo sine delectatione concomitante.»

SCHOLION I.

In quo actu reponenda sit essentia beatitudinis.

59. Quadruplex est inter theologos praecipua opinio: 1.^a tenet beatitudinem formalem essentialiter consistere in sola visione seu actu intellectus. Ita thomistae cum S. Thoma (5), Durando, Vazquezio, Becano, etc. 2.^a In solo amore Dei intuitive visi. Sic scotistarum schola cum suo doctore. 3.^a Simul in visione et amore. Ita B. Albertus, S. Bonaventura, Suarez, Molina, Amicus, Platelli, etc. 4.^a Simul in visione amore et gaudio. Sic Lessius et alii.

Jam vero *gaudium* non esse constitutum essentiae beatitudinis, ex hoc videtur manifestum quod sit aliquid pure consequens perfectam possessionem Dei per visionem et amorem: non esse etiam solum amorem Dei, inde probatur quod solus amor Dei visi formaliter ut talis non perfecte quietet sua formalitate appetitum supernaturalem hominis, qui est videre Deum, videre autem Deum non amore aliquo, sed sola Dei, visione essentialiter completur et habetur. Versat igitur principaliter quaestio, an ipse amor sit pars essentialis beatitudinis, vel solum aliquid necessario consequens perfectam adeptionem beatitudinis.

D. Thomas, ut vidimus excludit amorem ab essentia beatitudinis.

(1) XVII, 3. — (2) II.^a, III, 16. — (3) Lib. 1 de morib. Eccles. c. 4. — (4) 1, 2, Q. 4, a. 1. — (5) 1, 2, Q. 3, a. 4.

Prob. 1.^o «Quod Dominus dicit Joan. (1): *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum.* Vita autem aeterna est ultimus finis, ut dictum est. Ergo beatitudo hominis in cognitione Dei consistit, quae est actus intellectus.»

2.^o «Ad beatitudinem, sicut supra dictum est, duo requiruntur: unum, quod est esse beatitudinis: aliud quod est quasi per se accidens ejus, scilicet delectatio ei adjuncta.

»Dico ergo, quod quantum ad id quod est essentialiter ipsa beatitudo, impossibile est quod consistat in actu voluntatis. Manifestum est enim ex praemissis, quod beatitudo est consequutio finis ultimi. Consequutio autem finis non consistit in ipso actu voluntatis; voluntas autem fertur in finem et absentem, cum ipsum desiderat, et praesentem, cum in ipso requiescens delectatur. Manifestum est autem, quod ipsum desiderium finis non est consequutio finis, sed est motus ad finem. Delectatio autem advenit voluntati ex hoc quod finis est praesens; non autem e converso ex hoc aliquid fit praesens, quia voluntas delectatur in ipso. Oportet igitur aliquid aliud esse quam actum voluntatis, per quod fit finis ipse praesens voluntati. Et hoc manifeste apparet circa fines sensibiles. Si enim consequi pecuniam esset per actum voluntatis, statim a principio cupidus consecutus esset pecuniam, quando vult eam habere; sed a principio quidem est absens ei, consequitur autem ipsam per hoc quod manu ipsam apprehendit, vel aliquo hujusmodi; et tunc jam delectatur in pecunia habita. Sic igitur et circa intelligibilem finem contingit. Nam a principio volumus consequi finem intelligibilem; consequimur autem ipsum per hoc quod fit praesens nobis per actum intellectus; et tunc voluntas delectata conquiescit in fine jam adepto. Sic igitur essentia beatitudinis in actu intellectus consistit.

»Sed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens, secundum quod Augustinus dicit (2), quod «beatitudo est gaudium de veritate,» quia scilicet ipsum gaudium est consummatio beatitudinis.»

3.^o Favent huic opinioni aliquae PP. sententiae: S. Augustinus (3): «Nihil aliud est Deum habere quam nosse... quid aliud est beate vivere nisi aliquid cognoscendo habere?» et alibi de Trinit. Lib. 1, c. 9; et in Ps. XC, dicit «visionem esse totam mercedem.» S. Gregorius Nyss. (4) in verba *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*, ait: «Videre usu Scripturae idem significat quod habere... ergo qui Deum videt, omne bonum per hoc quod videt adeptus est.»

Est nihilominus opinio contraria, includens amorem in essentia beatitudinis, probabilis.

Illi favent: 1.^o Modus loquendi Scripturae, qui nunc visioni, nunc fruitioni quasi ex aequo tribuit hominis beatitudinem. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (5). *Intra in gaudium Domini tui* (6).

(1) XVII, 3.—(2) X Confess., c. XXIII, § 33.—(3) L. 83, QQ. q. 35.—(4) L. de Beatitudinib.—(5) Matth. V, 8.—(6) Matth. XXV, 21.

2.^o Constitutio Benedictus Deus, quae docet: «nec non quod ex tali visione et fruitione sunt vere beatae animae.» Patres, S. Bernardus (1): «Quia nondum possumus contemplari per speciem, nec plene complecti per amorem, dedit nobis interim et sapere per fidem, et quaerere per desiderium... Si enim adhuc absentes initiat fides et desiderium, praesentes profecto consummat intellectus et amor... His ergo fortasse quasi duobus brachiis: intellectu scilicet et amore; i. e. cognitione et desiderio veritatis... comprehenditur ab omnibus sanctis longitudo, latitudo sublimitas et profunditas.» S. Augustinus ait (2): «Eo enim fruendo quisque beatus est, propter quod caetera vult habere, cum illud jam non propter aliud, sed propter se ipsum diligatur... ibi requies appetendi... ibi tranquillissimum gaudium optimae voluntatis.» S. Anselmus (3): «Nihil aptius quam rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet super omnia; sicuti ipsa est summum bonum.»

3.^o Ratione: beatitudo est perfecta satiety naturae rationalis. Sed hujusmodi satiety consistere non potest in sola visione, nec in solo amore, sed in complexu utriusque. Ergo. *Min.* Satiety perfecta naturae rationalis importat satiety ipsius potentiae intellectivae et volitivae; natura enim rationalis essentialiter dicit potentiam intellectivam et volitivam. Sed appetitus potentiae intellectivae non satiatur amore; et appetitus potentiae volitivae non satiatur visione. Ergo... *Min.* prob. Primum patet, quia amor non est facultatis intellectivae operatio. Secundum prob.; nam appetitus, qui posita visione, exigit amorem et est naturaliter connexus cum amore Dei, non satiatur donec detur amor. Ergo.

4.^o Nonnullae D. Thomae sententiae: «Homo et aliae rationales creaturae consequuntur ultimum finem cognoscendo et amando Deum (4).» «*Perfectio charitatis est essentialis beatitudini quantum ad dilectionem Dei* (5).» «Finis dicitur dupliciter: uno modo ipsa res, alio modo adeptio rei. Deus igitur est ultimus finis, sicut res, quae ultimo quaeritur; fruitio autem sicut adeptio hujus ultimi finis et eadem ratio est de beatitudine creata, quae in fruitione consistit (6).» «Praemium essenziale hominis, quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animae ad Deum, in quantum eo perfecte fruitur, ut *viso et amato* perfecte (7).» «Ultimum bonum hominis consistit in hoc, quod anima Deo inhaereat (i. e. per charitatem). «Relinquitur ergo, quod perfecta beatitudo sit in hoc quod Deo semper inhaereat *cognoscendo et amando* (8).»

Quare non sine fundamento diceret cum Suario (9): D. Thomam negantem amorem esse de essentia beatitudinis, non negare absolute et omnino exclusive, sed solum relative et secundum quid, quatenus beatitudo non potest consummari in solo amore, et id quod est veluti omnino proprium beatitudinis ad intellectum po-

(1) Epist. 19.—(2) Epist. 38.—(3) Monolog. c. 66.—(4) I, 2, Q. 1, a. 8.—(5) Ibid. Q. 4, a. 8 ad 3.—(6) I, 2, Q. 11, a. 3 ad 3.—(7) 4, D. 49, q. 5, a. 1.—(8) Comp. theol. p. 2, c. 9.—(9) De beatitud., D. 7, sec. 1, n. 32.

tius quam ad voluntatem pertinet; nam licet in utrisque amore et visione reponatur essentia beatitudinis, visio primo et principaliter eam constituit, cum in ea tamquam in fonte et radice tota perfectio beatitudinis contineatur.

SCHOLION II.

De proprietatibus beatitudinis.

60. Dico I. Beatitudo secum fert ab omni malo physico immunitatem et perfectam impeccabilitatem.

Est catholica veritas; quoad secundam partem contra Origenem et prob. 1.^o Plurimis sacrae Scripturae phrasibus, quibus omne malum, nominatim peccatum a regno caelorum excluditur. Sint in exemplum: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt* (1). *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium* (2). Idem conficitur ex illis aliis locis quibus summa felicitas et purissima sanctitas caelestium civium describitur; sic David (3): *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Paulus (4): *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus, iis qui diligunt illum*. Appellatur regnum caelorum *vita aeterna, corona gloriae, corona justitiae, haereditas Christi, nuptiae Agni cum anima justis, cui datum est... ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssimum enim justificationes sunt sanctorum* (5); ut *veniat in civitatem sanctam Jerusalem... habentem claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso tamquam lapidi jaspidis sicut crystallum... Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo... Dominus... Deus Omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus... Et omne maledictum non erit amplius; sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum... et regnabunt in saecula saeculorum* (6). Breviter Princeps Apostolorum (7): *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui... regeneravit nos... in haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in caelis: cujus fide et spe etiam in mediis tribulationibus, credentes exultabitis laetitia inenarrabili et glorificata; reportantes finem fidei vestrae salutem animarum*.

2.^o S. Gregorius M. (8) invitat nos contemplari in Angelis beatis: «quae sit in eis sine fine festivitas visionis Domini, quae laetitia sine defectu, qui amoris ardor non crucians, sed delectans; quantum in eis sit desiderium visionis Dei cum satietate, et quanta

(1) Apocal. XXI, 4.—(2) Ibid. 27.—(3) Ps. XVI, 15.—(4) I Cor. II, 9.—(5) Apocal. XIX, 8.—(6) Ibid. XXI, XXII.—(7) I.º, I, 3. 4, 8, 9.—(8) In Ezech. L. I, Homil. 8, n. 15.

»satietas cum desiderio. In quibus nec desiderium poenam generat, »nec satietas fastidium parit. Quomodo inhaerendo beatitudini sint »beati: quomodo contemplando semper aeternitatem, sint aeterni: »quomodo conjuncti vero lumini, facti sint lux: quomodo aspirantes semper incommutabilem, mutati sint in incommutabilitatem.»

3.^o Quoad impeccabilitatem probatur esse ab intrinseco (1) contra scotistas, qui ajunt esse solum ab extrinseco, quia Deus impedit peccatum.

Ratio est: a) quia visio beata non modo necessitat ad amorem perfectum cum quo impossibile est peccatum, sed etiam quia per ipsam visionem, praeciso amore, in tanta aestimatione et pretio habetur Deus ejusque bonitas, ut judicetur ipsum esse summum bonum omnibus praeferendum, nihilque esse amandum quod ab illo faciat quomodo avertere voluntatem, quodque non sit conforme et consentaneum illi.

b) Aliunde perspicuum est tum bonum adeptum divinum, tum visionem ejus tanta efficaciam convertere ad se totam animam ejusque attentionem ut ex vi illius numquam possit converti ad volendum aliquid quod non sit prius regulatum a divina bonitate eique consentaneum; quia ut dixit Augustinus (2) in verba *inebriabuntur ab ubertate domus tuae*, «cum accepta fuerit illa ineffabilis visio, perit quodammodo humana mens et fit divina.»

61. Jam ad singularia, quibus beati ditantur, veniendo: 1.^o Intellectus beatorum ultra ipsam visionem beatam (3) per quam multa alia a Deo in Verbo cognoscit, ornatur tum scientiam infusam, tum naturali seu acquisitam et preces et necessitates suorum clientum cognoscit.

2.^o Voluntas pariter beatorum, fide excepta, ornatur habitibus virtutum, quas in via habuerunt quoad entitatem et substantiam licet non quoad omnes actus et habitudinem ad eos. Hoc enim postulat status beatifici perfectio; cum omnis virtus etiam spes, v. g. et poenitentia (4) inclinatur voluntatem ad amandum bonum honestum, ut illud vel desideret voluntas si eo adhuc careat, vel ut de illo gaudeat si illud jam possideat. Dicimus non quoad omnes; quia aliqui actus virtutum includunt vel supponunt imperfectionem ex parte objecti, scilicet absentiam alicujus boni vel praesentiam alicujus mali, ut poenitentia v. g. peccatorum.

3.^o Dotes et aureolae. Dos dicitur perpetuum animae vel corporis supernaturale donum, quod Deus animabus beatis Christo in aeternum nuptis (5) confert. Aureolae beatorum quoad nomen dicuntur coronae quia dantur in praemium victoriae, aureae quia in pretium; diminutive, quia sunt minores respectu coronae magnae sive beatitudinis et gloriae essentialis; quoad rem juxta D. Tho-

(1) Cum Suariorum et D. Thoma. V. Suar. De beatitudine, D. 10, sec. 1; D. Thom. I, 2, Q. 4, a. 4.—(2) In Ps. XXXV, 9.—(3) De objecto visionis beatae. V. Vol. II, Disq. IV, Thes. XIX-XXII.—(4) De quibus aliqui probabiliter dubitant aut maneat.—(5) II Cor. XI, 2; Apocal. XXI, 2.

mam (1) sunt gaudium accidentale de singulari quadam victoria perceptum a beatis et in corpus speciali fulgore redundans.

Dico II. Dotes animae beatae sunt tres visio, comprehensio, delectatio.

Visio haec non est formalis beatitudo, sed terminus fidei satians beatum ex hoc, quod jam clare videat ea, quae in via cognovit obscure per fidem. Comprehensio non est cognitio Dei adaequata sed terminus spei, satians beatum, ex eo quod bonum desideratum jam teneat juxta Apostolum (2): *Sic currite ut comprehendatis*. Delectatio est terminus amoris, satians beatum ex eo quod summo bono, ad quod in via tendebat jam uniatur et in illo conquiescat. Ratio est, quia haec respondent tribus virtutibus theologis et pertinent ad triplicem primariam operationem circa Deum.

Dico III. Aureolae assignantur tres martyrum, virginum et doctorum.

Nam triplex est hostis: mundus, caro, diabolus. 1.^a est Martyrum, qui mundum i. e. tyrannos vicerunt contemptu mortis. 2.^a Est virginum carnis oblectationes vincuntium, integra corporis et animae puritate servata. 3.^a Est doctorum, qui fidei et morum dogmata tradendo, salutariter praedicando, monendo, etc., diabolum expulerunt ex hominum cordibus, tamquam ab affectato suo regno (3).

Dices: tanta diversitas in retributione erit causa tristitiae in illis beatis, qui tantam gloriam quantam alii adepti non sint.

Resp. Neg. «in eisdem, ait S. Gregorius M. (4), multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors: quia tanta vis in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet.» «Regnabit, ait Augustinus (5), in omnibus unitas charitatis.» Illustrat exemplo Julianus Pomerius (6): «Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos aequaliter habet, quamvis singuli cibum non aequaliter, sed pro possibilitate perceperint: ita sancti omnes, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione beati futuri erunt.»

62. **Dico IV:** Beatitudo est natura sua incorruptibilis et perpetua.

Prob. 1.^o Illis loquutionibus Sacrae Scripturae quae vocantes ut S. Petri (7) beatitudinem: *haereditatem incorruptibilem, incontaminatam et immarcescibilem*; S. Pauli (8): *coronam incorruptam*, incorruptibilitatem et perpetuitatem ut proprietatem connaturalem de beatitudine praedicant.

2.^o Ratione, nam tam lumen gloriae quam visio beata, nisi per suspensionem divini influxus cessare non possunt, cum de se sint permanentia et contrarium non habeant. Sed quae ita se habent sunt naturà sua indefectibilia. Ergo...

Dico V: Est praeterea perpetuitas beatitudini formali perfectae essentialis.

(1) Suppl. Q. 96.—(2) I Cor. IX, 24.—(3) V. Suar. De beatit. D. II, sec. 3.—(4) Mor. L. 4, c. 36.—(5) In Joann. tr. 67, n. 2.—(6) De vit. contemp. I, c. 4, inter op. S. Prosperi.—(7) I^a I, 4.—(8) I^a Cor. IX, 25.

Quia non potest esse consequutio summi boni, de se plene satiativa et exclusiva omnis anxietatis, nisi ex modo, quo datur sit perpetua et inamissibilis. Ita S. Augustinus (1): «Nulla igitur esse poterit vita veraciter beata nisi fuerit sempiterna.»

Hinc cognitio hujus perpetuitatis, seu securitas de non amissione, est saltem conditio necessaria ex parte beati, ut possit omnino satiari desiderium ejus, quia appetitus satiari non potest nisi prelucente cognitione. Vide D. Thom. 1, 2, Q. 5, a. 4, ad 1; Suar. De beatitud. D. 14, s. 2, et 3; Platelli. De beatitud. nn. 1-12.

Propter hanc cognitionem scribit Chrysostomus (2): «Cogita, quantum sit, animam cum illuc abierit, non amplius expectare finem illorum bonorum nec mutationem, sed incrementum et vitam, quae non habet finem, ab omni quidem periculo liberam et ab omni animi aegritudine et sollicitudine, plenam animi gaudio et bonis innumeris.»

Finem impono S. Bernardi adhortatione (3): «O beata regio supernarum virtutum, ubi beata Trinitas a Beatis facie ad faciem videtur, ubi illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu. *Sanctus, Sanctus Dominus, Deus Sabaoth* (4), clamare non cessant! locus est voluptatis ubi torrente voluptatis potantur: locus splendoris, ubi justi fulgent sicut splendor firmamenti: locus laetitiae, ubi laetitia sempiterna super capita eorum: locus abundantiae, ubi nihil deest videntibus eum: locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis: locus pacis, ubi in pace factus est locus ejus: locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera ejus: locus satietatis, ubi satiabimur cum apparuerit gloria ejus: locus visionis, ubi videbitur magna visio. O regio sublimis, plena divitiarum! de valle lacrymarum suspiramus ad te, ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendet. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, id est talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, laetitiam creaturae. Curre igitur spiritalis anima oculis desideriorum per regionem istam, et vide Regum gloriam in decore suo gloriosum, stipatum legionibus Angelorum, Sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem daemones, homines redimentem, et dic (5): *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in saecula saeculorum laudabunt te*. Cum ergo mente perceperis tam pretiosas nundinas, mercimonia tam praeclara: construe sarcinam tuam, amorem Dei.»

(1) Lib. 13. De Trin. c. 8.—(2) Homil. 6, in Hebr. n. 4.—(3) Serm. de divers. 42.—(4) Isai. VI, 3.—(5) Ps. XVIII, 5.